

DE  
QUIDITA-  
TE DEI.

*ex*.  
LUMINE NATURÆ

cognoscibili

*disputabunt*

P R A E S E S

M. FRANCISCUS Rögler/  
Bohemus,

&

R E S P O N D E N S

F R I D E R I C U S Müller/

Lezensis Saxo.

*In Auditor. Minorī*

*Ad d. 24. Augusti.*



WITTEBERGÆ,  
Excudebat Johann. Hake.

M. DC. LXIV.

*h. Secundus: E*

*E. EXCEP. E*

diss. A  
17

*H. 187 fijj*

ib  
F




Bindungs-Nr.



Cū τῷ Εὐ !

S. I.



bsolutā quæsti-  
one an sit Numen supre-  
mum, Ens Entium ac Creator uni-  
versi ; rectâ progredimur ad con-  
ceptum ipsius primum quidita-  
tivum, qui proprium esse Dei, in  
quantum nobis de eō constare po-  
test, coram intellectu nostrō repræ-  
sentat.

S. II. Ut verò quiditatem rei alicujus explicemus, ali-  
as definitione opus est : quippe quæ λόγος τῆς σόλεως, ora-  
tio rei essentiam declarans. Idcirkò in limine statim ve-  
xatissima Logicorum controversia obviam venit ; num Deus  
possit definiri ? Antequam respondeamus, circa statum contro-  
versiæ notandum est, definitionem rei propriissimè sumptam  
discrepare ab analogiâ. Ad hanc sufficit, constet modo con-  
ceptu immediatè latiori & propriâ seu quasi differentiali. Ad  
illam requiri solct. I. Ut definitum in prædicamento colloce-  
tur. Quemadmodum hoc ipsa Prædicamentorum ratio ac  
institutum docent. Quippe in quibus res prædicabiles per  
genera & species beneficî differentiarum disponuntur. Hinc  
videre est illam tantum prædicandi materiam in prædicamen-  
torum cancellis ordinari, cuius excellentia aut vilitas non re-  
pugnat habere Genus ac differentiam propriam. II. Ut adsit

A 2

Genus

*Genus Logicum*, quod de pluribus specie differentibns prædicatur in quid & quidem (ut volunt) univocè. Aliud enim est conceptus communis quiditativus & analogicus, aliud Genus, quod unicè veram gignit definitionem Logicam. III. Ut ad sit *Differentia specifica*, quæ, conceptum genericum distingvendo eumque ad certum esse determinatum restringendo, speciem constituit. IV. Uli gignat de objecto definito cognitionem quiditativam, que nos certiores reddit de omnibus prædicatis essentialibus ad ultimam usque differentiam inclusivè, adeoque rei essentiam perfectè & intimè repræsentat, & uti suum esse objectivum in se habet. Talis cognitio requiriatur omnino ad quiditativam definitionem & propriè dictam. Ubi enim Essentia rei sicut in se est repræsentari debet, ibi gignitur in intellectu concipiente quiditativa cognitio. Alias revera rem non exhaustiret, neque definiret h. e. objectum cognoscendo finiret quasi & penetraret per omnia vid. Mendoz. disp. 9. Met. sect. 5. Cloz. disp. 4. §. 38. Signum igitur vitiosæ definitionis est, si vel definitum habet aliquid essentiale, quod non contingatur in definitione, vel definitio aliquid habet, quod non contingatur in essentiâ definiti, ut docet Scheibl. in Op. Log. Part. 2. cap. 30. num. 138. citat etiam pro se Arist. lib. 6. Top. c. 5. §. 2.

§. III. Post hæc dicimus; Deus propriè non definitur. Assertum probamus à negatione re quilitorum veræ inque foro philosophicō usitatæ definitionis. Nam 1. Non est in prædicamento. Quicquid Dei simplicitatem destruit, de eō non est affirmandum. Sed poni in Prædicamento facit prius, E. Min. prob. Quod in prædicamento locatur, simpliciter simplex esse nequit; sed ( $\alpha$ ) componitur ex subsistentiâ & accidentium inhærentiâ. Nam si meræ res finitæ illic sedem suam habent; sequitur tantum entia à dictâ compositione non aliena, qualia sunt creaturæ, prædicamenta ingredi, non itidem Deum. Sed id probat Mendoz. Disp. Log. 9. subf. 1. §. 14. Prædicamentorum Autores in illis constituí noluerunt nisi individua creara. ( $\beta$ ) compouitur ex Genere & Differentia. Rectè monet Cloz. §. 40. l. c. Prædicamentorum classes primū sunt ordinatae proper gen-

genera & species rerum creatarum sub uno genere generalissimo contentarum. Sed haec compositionis species cum simplicissimâ supremi entis naturâ pugnant. II. Deus non agnoscit Genus. Alias n. non simpliciter necessarius fingeretur. Scil. quicquid compositum ex genere & differentia, componitur à parte rei ex actu & potentia. Sed talem Numinis adscribere compositionem impium esse ducimus. Ideò prius quoque ab eo removeatur oportet. Asserti ratio constat: Genus habet se per modum potentiae: forma differentialis per modum actus. Nam nulla Generis species, in suppositione confusa si loqui velimus, absolute necessariò existit; semper enim possibile est positum Genere, non in rerum naturâ ponî hanc speciem determinatè, cùm illa dari possit. Conf. B. Scharf. Inst. Log. l. t. tr. 2. Cap. 2. Can 5. Heer. Mel Phil. vol. 1. disp. 21. §. 6. ita docet; Genus & differentia ita inter se distinguuntur, ut gradus genericus secundum rationem suam posse inveniri separatus à differentiali illo, & inveniri conjunctus cum aliquo alio gradu differentiali in re aliqua alia. Unde factum ut dicamus e. g. Animal se habere per modum potentiae, quæ diverso superveniente actu diversimodè limitatur ac perficitur. Quod ipsum cùm passionem cum imperfectione importat; in Deo nullum invenit locum. Absoluta enim necessitate existit, nec ullam possibilitatem ad actum, à quo perficeretur, importat.

§. 4. Ex quibus consequaneum est, non minus ab Ente summò excludendam esse differentiam: 1. Ubi nulla contrahibilis naturae passiva potentia: ibi nullus ad eam refertur actus. Sed in Deo prius deficit. E. & posterius. 2. Differentia non est ipsum Genus, sed aliquid diversum à Genere. Unde illam de hoc prædicari volunt in Quale & extraessentialiter conf. B. Scharf. l. c. Clozius l. c. §. 39. vocat differentiam *Accidens Generis & partem speciei*. Sed tale quid Deo repugnat, in quo nihil est, quod non sit ipse Deus. 3. Ceterum genus ut sic non infert infinitam perfectionem, cùm sit aliquid informe & potentiale: ita nec differentia, cùm non includat perfectionem Generis; Sed ex minùs infinite perfectis componi essentia infinita ne.

A 3

quit,

quit. 4. Si Natura Dei Generica specificaretur differentia propriâ; sequeretur Deum esse thema universale, esse speciem de pluribus essentiâ numericâ differentibus prædicabilem. Quod non absurdum saltem; sed impium quoque pronunciant saniores, cùm Deus sit ens singularissimum, cuius essentia in nullis inferioribus plurificari potest. 5. Aut Deus erit alicujus speciei specialissimæ individuum. Sed sic fngitur species Monadica, quam vocamus, Deus singularissimus; ipse simpliciter non repugnat amplius, plures agnoscere Deos homogeneos. Denique IV. Deus non cognoscitur quiditativè. Observamus cognitionem quiditativam sumi 1. Generaliter à Scotô; quando de re cognoscitur quid sit, concipiendo aliquod prædicatum quiditativum ejus, non tamen ut commune, non etiam ut proprium, 2. Specialiter à Thomâ; quando cognoscuntur de re omnia prædicata quiditativa proprio ac positivo conceptu penetrando usq; ad differentiam ultimam inclusivè. Et hæc cognitio cōstituitur è genere & differētia, ut ait Joan Gvern. Capella Corn. Cop. Met. circa 7. Met. qv. 9. inque comprehensivâ strictè dictâ contineri dicitur Casp. Ebelio. Hoc modo Deus non est cognoscibilis ob infinitam essentiam infinitis virtutibus exornatam, quam penitus comprehendere & quiditativè concipere nequit nisi intellectus infinita potentia instructus. Ita n. adæquata inter objectum & facultatem cognoscendem intercederet proportio. Nos vero mortales apprehendimus saltem aliquid Dei, non totam quiditatem exactè comprehendimus. Si enim homo finitus comprehendat totam essentiae quiditatem, ager id, ad quod agendum potentia non trahitur. B. Jac. Mart. Exerc. Met. I,2. Exerc. 4, th. 2.

§. V. Patet igitur Deum propriè ac perfectè definiri non posse. Quod quidam rotundè negant: quidam libidine contradicendi sententiaz patrocinium querunt in extendendis terminis Generis, differentiaz &c. præter sensum à Philosophis antiquioribus usitatum. Nos igitur dum propriam harum vocum significationem sectamur; illi vero impro prium & nimis

mis laxum verborum recepto significandi modo imperfectio-  
nem involventium sensum sectantur; mera videtur inter u-  
tramque partem λογομαχία disceptari. Interim nobis reli-  
gio erit, bene sentire de Deo rebusque divinis, nec tamen, in  
quantum fieri potest, bene loqui. Quapropter eum nec  
definiri, nec in prædicamentis esse statuimus. Cæterum  
tamen non inficiamur posse nos vice definitionis rigorosæ sup-  
peditare descriptionem, in quâ loco Generis adhibetur con-  
ceptus contrahibilis immediatè latior, locoque differentiæ cō-  
ceptus contrahens, qui Deum ab omnibus aliis distinguat, &  
in propriô esse suô juxta modum concipiendi nostrum consti-  
tutivè repræsentet.

§. VI. Ubi nobis I. animus non est, ac si à parte rei de-  
tur ejusmodi distinguibilitas inter id quod conceptu latiori, &  
id quod conceptu strictiori ac contrahente exprimitur. Neu-  
tiquàm: uti se namque habet prior, ita se habet posterior. U-  
terque ratione fundamenti simplicissimè idem. Ut verò distin-  
ctis utamur conceptibus, accidit propter mentis humanæ im-  
becillitatem, quæ singulos hos conceptus in essentiâ indivisiâ  
indivisiibili radicari deprehendit unitim, eos tamen cognitio-  
ne accurata apprehendere nequit uno actu. Procedimus i-  
gitur hic, ut in molis quoque aliis, non ut debemus, non ut  
volumus, sed ut possumus, ut solemus. II. Dum coram  
mente idealiter repræsentamus Dei essentiam (ut videtur) cō-  
trahibilem & ut contractam ad certum essendi statum per at-  
tributum, quod nobis radicale & primum est, ac ratio inferen-  
di reliquorum omnium: non tam exprimere volumus ipsam  
Dei formalitatem s. formalem rationem, quam aliquid, quod  
à parte intellectus nostri respondet formalis rationi Dei, quod  
que laxiori vocis usu quiditatem aut conceptum Dei quidita-  
tivum vocare consueverunt.

§. VII. Quô de solliciti cùm sumus, ante omnia Deum  
contineri sub conceptu entis communissimo ac generalissi-  
mo deprehendimus, ita ut Ens sit ejus conceptus con-  
trahibilis remotissimus coram mente nostrâ. Ubi tamen  
Ens

Ens non sumitur in amplitudine prout, importat Ens reale ac rationis, positivum & que ac Negativum, per se & per accidens & sic porrò: neque prout contractum est ad certainam entis classem per subsistentiam aut inherenteriam; sed prout præcisè spectatur, & limitabile est certa superveniente restrictione. Aliás enim non possit vocari conceptus Dei contrahibilis h.e. qui se juxta captum nostrum, sicut aliæ nature genericæ, citra ramen imperfectionem ad inferiores essendi gradus, observata attributionis intrinsecæ analogia, contrahere sinit. Sed constat de significatus habitudine. Porro non est, ut dubitemus, Deum Ens esse. Habet enim essentiam veram, realē, positivam actualemque. Quod operationes à nemine in dubium vocandæ satis abunde testantur. Iis autem positis, ens poni necessum est. Attributa enim nec sunt, nec esse possunt citra positivam essentiam. Verum quicquid sit, Deum entis nomine venire negatum est à Plotino in Ennead. I. lib. 7. cap. 4. quia sit omne ens supereminens ejusq; naturam transcendentis: à Pico in lib. de ente & uno cap. 3. & 4. quia sic componeatur ex essentiæ & habente essentiam: à Scaligero exerc. 365. quia, siens denominativè prædiceretur de Dco, abstractum esse rursum aliud ab ipso, cum ipso prius, quod sanè impium.

§. VIII. Plotino respondemus; Quando Deus appellatur transcendens, non in totum omnem in universum essendi rationem transcendent, ita ut nihil amplius cum creaturis commune retineat; sed in tantum, ut transcendat in modo participandi de communi essentiæ conceptu. Si quidem, ut accurate loquitur, Cl. VValth. in Disp. de eo quod à parte &c. veritatem competentiæ non tollit in equalitas in participando. Deus distat à creaturis toto genere, verum non in esse entis; sed in esse talis entis. Deo convenit & habere essentiam primario, & ita communem rationem essendi, prout in creaturis est, transcendent: enti dependenti secundariò ac gradu inferiori. Pico sequentia opponimus; Compositio ex essentia & habente essentiam realis non est, cùm enti ut sic tribuitur. cōf. Cl. Trentsch. disp. de ente §. 10. sect. 1. nuda saltem convenientia nota.

notatur, non aliter ac si dicas homo habet humanitatem. Ceterum si applicetur creaturis, fundamentum realis compositionis presupponit, quod est contingens rerum existentia, quae ita sunt, ut etiam potuerint non esse. Agnoscent enim essentiam actuabilem, & non necessariò actualem. Quod *Scaligerum* concernit, is praeter morem hactenus usitatum etiam attributa non vult paronymicè seu denominativè prædicari. Nunc non amplius dicendum; Deus bonus; sed bonitas. Mignum! tantus heros timer, ubi opus non est. Sed nos distinguimus inter denominativa limitate sumpta, quæ formam dominantem, denominatum & denominativum reali fundamento distingvunt; & signatè, ubi ista formaliter tantum ut distincta concipiuntur, materialiter vero, & non accedente rationis operâ identificantur. Jam in quibusdam cum imperfectione concretum & abstractum differunt: E. etiam in illis, quæ per modum abstracti & concreti ab intellectu nostro aripiuntur. Consequentiam videmus nullam. Licet igitur conciperetur essentia tanquam abstractivâ habentis forma: Tamen à parte rei id non tam habet essentiam, quam est ipsa actualis essentia.

§. IX. Constat Deum esse Ens. Proximum est, ut ad concretiores essendi modos progrediamur. Ubi deprehendimus eum esse ens per se subsistens sive substantiam. Quicquid enim Accidens non est, substantia est. Deus Accidens esse nequit; quia prima Ens aliud se prius non agnoscit, quemadmodum Accidens antecedit Substantia. Neque tales operaciones, supposito propriæ, eidem convenient, neque imperfectum accidentium esse, neque eorum à subjecto dependentia. Non intelligimus v. Substantiā intra Prædicamentorū cancellos inclusam, quā variis obrui imperfectionibus supra monstravimus; sed Metaphysicam, quæ motar Ens omne, quod alteri non inhæret per modum accidentis, sive nunc accidentibus subster, sive non. A finito enim & infinito præscindit. Hic parum obstat, quod quidam Deum vocare substantiam vereantur; quia essentia ipsius sit υπεργός οὐ περγίως ἔχων υπερ-

¶ 107. Negatur identitas modi habendi, non ipsum esse substantiale. Longè eminentiori ratione natura substantiæ convenit Deo, quam creaturæ. Sed inæqualitas convenientiæ non negat rei convenientis identitatem. Hoc ergo sequitur; conceptus substantiæ analogicè convenit Deo ac creaturis. Quod conceditur.

§. X. Deveniendum est ad conceptum contrahibilem proximum. In theoriâ substantiarum obviam venit quasdam earum corporeas, quasdam incorporeas esse. illas vocant materiales, has immateriales s. spirituales, eo quod careant materia & forma. Ad classem corporum cum Melitone Episcopo Sardensi, Audæô, Manichæis, Davide de Dinando & Ethnicis quibusdam Deum referre non possumus, propter absolute independentiam, purissimam actualitatem, omnimodam immutabilitatem. Relinquitur ergo quod sit spiritus.

§. XI. Sed conceptus Spiritus & adhuc indifferens cùm sit, prout abstrahit ab infinito & finito, & ad utrumque determinari potest: investigemus oportet perfectionem quandam, quæ inter alia attributa primum sibi vendicet locum; quæque spiritualitati superaddita gignat id, quod conceptui Dei quidditativo proprio, s. formali rationi respondeat juxta modum intelligendi nostrum; & quâ remotâ removatur Dei conceptibilitas; undeque deinceps reliqua attributa omnia fluant ac demonstrentur, sive mediata id fiat, sive immediate. Isque vocatur conceptus contrahens.

§. XII. Quem antequam substantiæ spirituali superadimus; recensebimus breviter unam vel alteram opinionem, quam hic vel ille autor indeterminandò Dei conceptu quiditativò arripuit. Platonii Deus est Ζωος ἀγαθατος, sufficiens sibi ad beatitudinem, substantia eterna, autor boni in naturâ. Resp. inconvenienter. 1. Deus dicitur animal, etiamsi metaphoricè sumatur, 2. Proprietati non stadeatur, 3. immortalitas constituitur

uitus conceptus contrahens, qui tamen à nobis omnium primum non concipitur, & positō, in animalitate immortali consistere primum Dei conceptum: abundarent tamen reliqua verba ad conceptum secundum facientia. Cic. lib. 1. Tusc. quæst. Deus ipse qui intelligitur, non potest alio modo intelligi, nisi mens soluta quedam liberata, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens itaq; p̄edita motu sempiterno. Sed neque hæc ad rhombum faciunt. Non enim volumus confusam descriptionem à quibusunque attributis petitam; sed accuratam. Etiam iis verborum improprietas nauicam excitare posset, quibus magis placet simplex veritatis notatio, quam vocum in alias significationes inflexio. Hermes Trismegistus, Ægyptius post Mosen Philosophus, inquit; Deus est sphaera intellectualis, cuius centrum est ubiq;, circumferentia unquam, h. e. interprete Clozio l. c. §. 41. qui nec loco nec tempore circumscribitur, conf. ea, quæ B. Jac. Mart. Exerc. Met. Exerc. 12. lib. 2. ex Ambrosio in cap. 3: ad Eph. citat. Sed cum data definitio sit Metaphorica, quam vocat Scheibl. lib. 2. Met. cap. 3. tit. 3. art. 3. num. 80, & non tam primum Dei conceptū, quam immensitatem ejus aut ubietatem repræsentat, ideo eam mittimus. Itidem Hermeti sequentia tribuuntur; Deus est circulus cuius medium est in centro circumferentia ubique. Refutat eam Scal. Exerc. 363. Nam 1. Infinito assignatur medium. 2. Circumferentia, quæ alias finitum corpus includit. 3. Quid? circumferentia si ubique poneretur, etiam in medio esset. 4. Et ita medium foret idem cum circumferentiâ. 5. Accedit lusus vocum. Varroni videntur ii solum animadvertisse, qui Deus esset, qui crediderunt eum esse animam motu ac ratione mundum gubernantem. Sed in hoc si consideret formalitas Dei, sequeretur eum non esse Deum, quando non motu ac ratione mundum gubernaret. Sanè ante mundi initia non fuisset. Optimè quoque citra relationem ad mundi conservationem ac gubernationem concipitur. E. in eâ non fundatur ejus formalitas quoad modum intelligendi nostrum. Alias veterum descriptiones prætereo, quæ ad Lydium lapidem examinatae f.

cile cadent. Vide tamen eas ap. Cic. de Nat. Deor. I. i. Natal.  
Comit. in compend. ex Lib. Greg. Giraldi Syntagm. de Deor.  
Gent. hist. affixio Mythologiaz. Selden. de Diis Syr. Voss. de  
Idol.

§. XIII. Magis rem acu tetigisse votant, qui dicunt conceptum Dei primum respondentem juxta nos formalitati Divinae esse God, ipsum esse simpliciter & interminatum, vel quod Deus sit id, quod est. ut Plato in Timaeo, Plutarchus, Petavius, Christoph. Gillius. Resp. Conceptus Deo creaturisque communis & remotissimus nequit proprium proximumque esse Dei absolvere, nobisque vicem formalitatis subire. Talis est entis interminati conceptus. E. Nec est, ut objiciatur. I. Ipsum esse primum est inter omnia praedicta absoluta & essentialia, que convenient Deo, quatenus ipsum, & reliqua includat. Resp. I. God esse interminatum non retrocurrit cum Deo. Sunt termini inadæquati. God Esse n. à nobis ut latius, ut contrahibile spectatur, s. dist. inter praedicatum quiditativum commune, & rationem propriam quiditativam. Illud notat ens interminatum: Hæc ipsum esse Dei proprium est, prout conceptu contrahibili & contrahente exprimitur. Obj. II. Sumi posuit vox entis pro ente independente. Resp. I. sic non esset ens interminatum. 2. videtur esse contra intentionem ipsius adverlarii. 3. vitium adhuc relinquitur; quia sic conceptus entis contrahibilis removet, loco proximioris, restringeretur tacite per independentiam implicitè superadditam.

§. XIV. Svarez. disp. Met. 30. sect. 6. num. 5. afferit; Essentiam Dei ratione nostræ cognitionis, ita esse constituendum, ut à parte rei est. Unde omnia attributa à parte rei cum essentia eadem forent de conceptu primo. Resp. I. Concedimus attributa à parte rei identificari & ad objectivum Dei esse pertinere, nulloque modo distingvi; sed esse ipsam essentiam tales operationes edentem. 2. Formaliter v. & ab essentiâ & à se invicem ratione ratiocinata differunt. 3. Si concipi potest essentia divina non conceptis simul omnibus attributis,

tis, sequitur ea non esse formaliter de conceptu Dei primo quidem  
ditativo. Sed prius est. E. Maj. certa est : ut enim aliquid juxta nos dicatur de essentia alicuius esse, identitas realis non sufficit; Sed requiritur insuper, ut ita includatur in ratione essentiae, ut essentia praesciso eō concipi non possit. Verba sunt Dn. Slevogti. Minor ex propriâ Svarezii hypothesi constat, qui non adeò negat, primum Ens concipi posse, ita ut non simul attributa concipientur. Largitur etiam horum quædam aliis priora se nobis exhibere.

§. XV. Nec illius sententiam tolerandam esse, qui talia in Disp. de primo conceptu Dei nostro intell. mod. adfert, putantur. I. Vult eorum sententiam, qui formalem Dei rationem ponunt Ens à se, & eorum qui infinitatem addunt Spiritui, solo loquendi modo differre. II. Omnia primò in Deo concepimus, quod sit Ens à se. III. Cùm ēt̄ esse à se videt autor ab omnibus attributis intrinsecè includi, particulare prædicatum (subsistens) addic, qvō arctetur velut ratiæ generica in omnibus attributis inclusa. IV. Putat se habere conceptum Dei simpliciter primum non solum re, sed etiam ratione. V. Dicit subsistens excludere ratione nostri omnia attributa Dei.

§. XVI. Resp. ad I. Non possemus statim concedere, aequipollentes esse terminos, Esse à se & infinitum. si n. cum B. Scharf. Met. l. 2. cap. 12. Ens à se definitus, quod negat ordinem ad aliud à quo dependet; & infinitum, quod caret terminis essentiæ; Formaliter idem non erunt. Aseitas præcisè negat ordinem ad causam: Infinitas simpliciter negat habere causam sui esse. Eset igitur Aseitas antecedens, quo positio inferatur infinitas. Falsum est, quod cum iis, qui Deum concipiunt ut ens à se, consentiat Scheibl. dūm Lib. 2. Met. tit. 3. art. 3. n. 75. quiditatem Dei exprimit per Spiritum infinitum. Multò n. accuratiùs, quam qui Ens à se conceptum sive contrahibilem sive contrahentem ponunt, substituit spiritum.

Ad II. Gratis supponitur;

B 3

Con-

**Conceptum Dei communissimum**, qui in descendendo primo spectatur, esse verè illum contrahibilem, qui junctus attributo primo, ex quo alia fluunt, constituit conceptum Dei quiditativum primum. Quis hōc sensu primum rei conceptum accipit? Ut alibi genus proximum & differentia speciem constituit: ita, servatā analogiā, quilibet conceptus primus quiditativus vult constitui. Ad III. Esse à se cùm non tantum primo conceptui; sed quibuslibet etiam attributis divinis competat, restringit per *subsistens!* Qui conceptus Deo creaturisque communis potest gignere conceprum Dei proprium ac proximum? Qui alias conceptus contrahibilis Dei, nunc sit contrahens? Quantum mutatus ab illō! conceptus contrahens non nisi certo & specifico (ut ita loquar) convenire potest & uni. Aliis tribuitur nunquam, ut rationalitas soli homini propria. Et si sic concluderemus; Conceptus Deo proximior & strictior, non contrahitur per latiorem & remotiorem. Sed esse à se conceptus Deo proximior ac strictior est, quā esse subsistēs. E. Per hunc non contrahitur esse à se. *E* esse à se cōvenit soli Deo, adeoq; conceptus est ad divinam essentiam unicē restictus, ita ut nullis præter Deum conveniat entibus. Esse subsistens non soli convenit Deo, inquit eō non terminatur ultimā. Ejus enim essentiam rationi nostrae repræsentat remorē, & prout res etiam finitas illiminatē complectitur. Ad IV. Per totam Disputationem supponi videtur præter captum hominis, ac si formalis DEI ratio (non tam id, quod à parte intellectū nostri eidem respondet) esset exploranda. Ita nunc putat Vir Cl. se primum conceptum non solum re, sed etiam ratione invenisse. Cūm tamen te nullus prior sit, nullus posterior. Non datur essentia divina ex naturā rei prior suis attributis. Ad V. Quasi attributa citra subsistentiam legitimē concipi queant. Cūm nihil sint aliud, quam Essentia DEI, ut se ita vel ita in operando manifestavit, inadæquate concepta. Sed; quod etiam coram intellectu nostro notat essentiam divinam suo modō repræsentatam, de eo citra

tra subsistentiam judicium legitimè fieri nequit. Attributa  
coram intellectu nostrô notant essentiam &c. E.

§. XVII. Conceptui contrahibili proximo, quem Spiritum esse diximus, addendus esset contrahens. Verum cum nobiliores duæ sententiæ , quarum altera Infinitatem, altera Independentiam propugnat, circa hoc negotium in diversas e-  
ant partes, inter quas decernere nostri non est judicii , pagella-  
rumque angustia obstat plura persequi , totam rem cuiuslibet arbitrio committimus. Interim certum est, si meliorem ex his spiritualitati superaddes, habebis id, quod à parte intel-  
lectus nostri respondet formalizationi Dei h. e. Quiditatem  
Philosopho cognoscibilem,

SOLI DEO GLORIA.



Coll. diss. A 187, misc 17